

78 N 13 [112]

X 3013740

IVVENI  
GENERE, AETATE, OPTIMARVM  
ARTIVM STVDIIS FLORENTISSIMO,  
CHRISTIANO GOTTLOB  
REINHARDT

MARTISBVRGENSI,  
OPTIMAS LEGES SECTANTI,  
*MVSARVM LIPSIENSIVM*

DELVBRA CVLTVM,  
IPSI CALENDIS MAII, MDCCXXXVI,  
ABEVNTI,

AVDITORI HACTENV SVO  
SOLERTISSIMO,

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA,  
GRATVLATVRVS,  
QVAEDAM

DE  
LEGIBVS FATORVM  
DISSERIT

IOAN. BENIAMIN GLASEVVALD.

PHILOSOPHIAE MAGISTER,

NUNC  
GYMNASII MARTISBVRGENSIS  
COLLEGA SEPTIMVS.

---

MARTISBVRGI,  
Literis, IO. MAVRIT. GOTTSCHICKII,



Kapsel 78 N 13 [112]

AK



Ucquid in me est uirium, iuuenis egregie, contendendum iure censeo, ut pateat, qui meus erga te sit animus. Nam quoad mens mea respicit spacium temporis, quo studia tua, opera mea qualicunque, formari contigit, et accersitus mei memoriam recordatur ultimam, fat uideo mihi causae et ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem officii huius existere. Quodsi nimirum studia nostra, diuina prope uirtute ac fato propitio suffulta, tibi aliquando usui, fructui et saluti fuerunt, aut esse possunt et, a quo id accepimus, quo uel parum prodesse tibi potuimus, huius profecto ipsius, ceu omnis felicitatis auctoris, gloriam praedicare, et tibi, cuius formandum studiorum occasione, uaria nobis euenere fata, gratam declarare mentem, et palam testari, faustaque potro precari fata, quantum est situm in nobis, debemus. Ut igitur officio aequae ac desiderio meo, ex parte saltem fiat satis, praesentis instituti ratione, quasdam factorum leges persecuturus, summi numinis providentiam, cuncta gubernantem, ac propterea in te et in me satis clare apparentem, quoad potero, celebrabo, eique te ac studia tua magis magisque commendabo. Sed ne tibi aut aliis forte, mirum esse uideatur, me rem tam arduam, tamque graue suscepisse negotium, cui uix Cicero et Hierocles, atque quam plurimi, etiam nostri temporis, uiri eruditissimi, pares existimantur, neque tantam literatissimorum, qui nunc sunt, hominum frequentiam, eorumque iudicia seuerissima timuisse. quaeso a uobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic materiae, uobis, quemadmodum spero, non molestam, ut, me, patiamini, quid tandem ualeant humeri, experiri, et proinde, quid leges, quid fata, nobis significant, breuiter exponere, quo, quid mihi uelim, eo clarius doceatur. Legum nomen, uariis modis, ueteribus usurpatum, ordinem, rationem ac modum rei nobis notat, seu, ut Philosophi loqui amant, id, quod ad essentiam siue naturam rei constituendam pertinet, atque proxime ad eandem accedit. Fata uero, quid sint, cum tot diuersa eorum dentur genera, atque doctores, uel in primis antiqui, in tot diuersas, imo uero contrarias, abeant sententias, neque eruditorum uulgas, fatum, quod penitus intelligere uix acumen ingenii ualet, satis, quid sibi uelit, perspiciat, sed potius, hac in re, quam saepissime decipiatur, offendatur, aliosque, non sine magno eorum damno, offendat, generatim, ludeat et breuiter definire, forte uerear. At uero, quanquam et ipse antea, quod non inficior, metuens, ne quenquam offenderem, diu, quid tandem sit fatum, num, si tale detur, inter causerum, an uero euentorum potius genera referendum, deliberando, ualde meum intenderim ingenium, putauerim, si nomen cum ipsa re contuleris, tute

ac sine ulla cuiusquam offensione, posse id causarum generibus annumerari, quorum  
etiam Cicero illud retulisse uidetur. Nam si fati uocabulum designat id, quod, ut  
interpretantur auctores, fatus est Deus de unoquoque nostrum, ea autem, quae fatus  
de nobis est Deus, causae sunt eorum, quae nobis eueniunt, sequitur inde, fata causa-  
rum generibus contineri quae uero causae non omnes, sed quaedam tantum earum ge-  
nera, nec ea quidem, quatenus causae, sed quatenus, modo quodam prope singulari,  
inter se sunt nexa, enunciantur fata. Etenim, si Deum causarum auctorem noris sa-  
pientissimum, sane intelligis, eundem omnes euentorum causas ita inter se coniunxisse  
ut perpetuo se excipiant ordine, qui uel perspiciatur simul ab ipsis nobis, uel minus,  
propterea, quod intelligentia nostra infinita non gaudet uirtute, atque Deus  
quaedam nobis abscondita, suaeque soli scientiae reseruata uoluit. Ordinem istum cau-  
sarum si in iis, quae tibi eueniunt, nescis, habes, quod in fato primum cogitandum  
est tibi. Atque, si secundum ordinem istum, tibi incognitum, insolita, insperata, imo  
saepe fini, ad quem tendimus, contraria, quaeque casu et fortuito fieri uidentur, fa-  
talia propterea dicta, accidisse intelligis, nihil deesse reor, quod ad cognoscendum et  
diudicandum faciat fatum, nisi, quod ea, quae causae sunt, ut quaedam negotiis alicu-  
ius, ratione praediti, modo, quem diximus, eueniant, fata sigillatim appellare solea-  
mus. Necessitatis enim legem, qua Brunnerus, Lipsii auctoritate inductus, fata in pri-  
mis fieri, arbitratur, cum haec secundum eos, qui Deum fata mouere et tollere posse,  
dixerunt, declinari et uitari possint, non puto esse aliam, quam, quae alias causam  
effectui iungere solet. Ea uero fieri lege fata, ut diuina prouidentia, quod suum est  
in hominum negotiis, etiam hoc modo et ordine, administret ac perficiat, bene disse-  
rit Brunnerus, quandoquidem inter omnes sanos certissimo certius constat, Dei pro-  
uidentia mundum administrari, quod ipsum Cicero etiam pronunciauit. Quae, si at-  
tenderis, omnino docent, qua lege fiant fata, ipsam nimirum diuinam uoluntatem  
illis esse pro lege, atque adeo omnia, quae eueniunt fata, uel ab efficientia, uel ap-  
probatione, uel permissione saltem numinis, ita tamen, ut mala atque tristia ad  
bonum semper finem et salutarem dirigantur exitum, dependere. Ac ne tu, a nobis  
hoc dici, forte mireris, quod quaedam in mundo eueniant fata, quae proficisci a Deo  
neutiquam possint, sed aliud potius eorum principium quaerere necesse sit. ne nos qui-  
dem dicimus, omnia singulaque fatorum genera, eodem modo, eademque ratione  
Deum habere auctorem et causam. Intuere tamen Deum ut iustum, ut misericor-  
dem, ut sapientissimum, ut omnia scientem, sane experieris, semper aliquid esse in  
fatis, quod, licet uel quodam saltem modo, nunc ab eius misericordia, nunc ab eius  
iustitia puniente, nunc ab eius sapientia omnia dirigente, nunc ab infinita scientia  
eius oriatur. Fata, quamuis talia uel in primis plurima sibi fingant ii, qui uel bona  
plura, quam aequum, sperant, uel mala maiora, quam iustum, timent, crebrius ta-  
men omnino apparere, putamus, quam ii, qui nihil curant, ac si audiant, fata sin-  
gulari numinis prouidentia niti, eadem plerumque ridet, falso sibi persuadent, ut  
adeo probationem addere, aut quotidianis tibi esse molestum exemplis, utpote in  
quibus totus fere est Brunnerus, necesse haud censeam, cum ipsa res pro me loqua-  
tur, effecta satis de causis testentur, euenta singularia causarum ordinem nobis igno-  
rum innuant, nec ipsa sapientissima diuinae prouidentiae administratio illud non sua-  
deat. Hac ratione explanatis, quantum, pro tenuitate uirum nearum ac temporis  
angustia, fieri potuit, quibusdam fatorum legibus, non existimem, quicquam impium,  
periculosum, in humanam libertatem iniuriosum, aut alienum dixisse forma sanorum

uerborum. Abeat ergo fatuum Sciorum fatum in malam rem, ualeatque, quod uocant, fatum Platicum, Astrologicum, Chaldaicum, Mathematicum. Nec morari uariis fatorum distinctioibus, nostrum est. Si tamen fatum bonum a malo, seu propitium a tristi adhuc distinguendum fuerit, uel unum saltem addo uerbum, esse uidelicet illud, quod gratum, hoc, quod ingratum nobis accidit. Præterea uero restat, ut, quod propitio iubeor facere fato, officii mei munus, ut debeo et possum, exsoluam, ita quidem, ut gratias agam perquam maximas Deo, auctori omnis felicitatis nostræ ac fonti, qui fato benignissimo, quicquid operæ, nostræ fuit, leuauit, summorumque hominum, animos, parentis tui in primis uiri excellentissimi, deque republica meritisimi, adeo ad nos inclinauit, ut nesciam, quo id factum sit fato, quaque ratione fati gratum uobis me exhibeam. Colam quidem recolamque perpétua gratæque memoria humanitatem et beneficia, quibus domus uestra splendidissima mea meorumque fata reddidit iucundissima. Nec uero, cum desint uires, omnes muneris mei expleuisse partes, arbitror, si uel maxime simul in præfenti dixerim, hac pagella, testimonium, quod debeo profectibus laudandis, quos non in uno optimarum artium genere fecisti, cum ipse iam non tuis modo, sed aliis quoque, quid filii, quod pacæ tua dictum uolo, proprietas, figuratio, compositio, numerus sit, te optimorum scriptorum lectione, tum me duce, tum priuata etiam industria, instituta, atque elegantiarum, Tullianarum in primis, imitatione iusta, doctum esse, probaueris, imo uero sermonibus tuis, quos aliquando cum eruditis contulisti, ostenderit, te non mediocri singularum Philosophiæ partium, plus una uice, esse imbutum cognitione, ipsunque fratrem tuum, uirum clarissimum, te, humanitatis studiis minime contentum, legum etiam, quibus te nunc consecrasti, non exiguam adeptum esse notitiam, non posse non docere, crediderim, ut adeo non sit dubium, quin breui euadas uir, principi, reipublicæ, parentibus, propinquis, mihi, meisque bono fato. Interim, quæ de fato officio, quæ meo breuiter simpliciterque dixi, confido, probata esse tibi tuisque, inque bonam partem accepta. Vale itaque, et fati, auspice numine, semper utere faustis, ac me meosque, nouo nobis fato, habe commendatos. Vale. Dabam Martisburgi prid. Cal. Mai, MDCCXXXVI.



78 N 13 [112] X 3013740

IVVENI  
GENERE, AETATE, OPTIMARVM  
ARTIVM STVDIIS FLORENTISSIMO,  
**CHRISTIANO GOTTLOB  
REINHARDT**

MARTISBVRGENSI,  
OPTIMAS LEGES SECTANTI,  
**MVSARVM LIPSIENSIVM**

DELVBRA CVLTVM,  
IPSI CALENDIS MAII, MDCCXXXVI,  
ABEVNTI,

**AVDITORI HACTENV SVO**  
SOLERTISSIMO,

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA,  
GRATVLATVR VS,

QVAEDAM

DE  
LEGIBVS FATORVM

DISSERIT

**IOAN. BENIAMIN GLASEVVALD.**

PHILOSOPHIAE MAGISTER,

NVNC

GYMNASII MARTISBVRGENSIS  
COLLEGA SEPTIMVS.

**MARTISBVRGI,**

Literis, IO. MAVRIT. GOTTSCHICKII.



Kapitel 78 N 13 [112]

AK

